

2269.

DISSE^TRAT^O IVRIDICA

1762, 23.

DE

FILIA HEREDE
CONTRA IVRA GERMANICA
ANTIQUA

QVAM

ILLVSTRIS
ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENRICO
BREVNING

PROFESS. PVBLIC. EXTRAORD. ET SOCIET. LITER.
DVSEBURG. SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE II IVNII ANNO CICIOCCLXII.

DEFENDET

CHRISTOPHORVS GOTTLIEB KERSTEN

HETTSTADIO MANSFELD.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

DIGESTA TATIS IURIDICA

50

REI A HERDE
CONTRAVENIENS
ANTICV

MATO

ILLUSTRIES

ICOLVM ORBINS GRATA

ICOLVS RAVASIDE

CHRISTIANO HENRICO

HREVENTINO

THOMAS LAMBERTUS QUESNEL

THOMAS LAMBERTUS QUESNEL

IN VICTORIO PLATINO

PLATONIS CICERO

PLATONIS

CHRISTIANVS GOSSELINVS

SVMME REVERENDO
PERILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
DOMINO

DOMINO
FRIDERICO ABRAHAMO
DE HOPFGARTEN

DOMINO HEREDITARIO IN MILVERSTEDT
ZIMMERN ET HEINECK ORDINIS VENATORII
MAGNI WVRTERBERGICI EQVITI

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
POLONIARVM REGIS ET SAXONIAE ELECTORIS
CONSISTORIANO INTIMO CVBICVLARIO
ET COMITATVS MANSFELDENSIS SVMMO ANTISTITI
ECCLESIAE NVMBVRGENSIS CANONICO

CET. CET.

DOMINO GRATIOSISSIMO

SUMME REVERENDO
PERVINCITATEM PONTIFICISIMO

DOMINO

DOMINO
FREDERICO ABRAHAMO
DE HOFEGARTEN

DONINO HERBIDI RIO IN HIBERNIA
SIMPSONI HENDERSON DEDICATISSIMO
MAGNI UNIVERSITATIS SECELE

PLRENTIASIVAC PONTIFICISIMO
PONINVRIV NEECISI SAXONIAE FELICIORIS
CONSTITUTIONIS TITULI CEREMONIALIS
ET CONSTITUTIO MAXIMA ET SICCA VITRINA
ECCLESIAE MUNIFICENTIAE CIVICIS

DOMINO GRATIOSISSIMO

PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO
D O M I N O

**DOMINO RVDOLPHO
DE BVNAV**

HEREDITARIO DOMINO IN LOSSE ET
WIDDERODE CAPITANEO CAPITVLI ECCLESIAE
CATHEDRALIS WVRZENSIS

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS
POLONIAE AC ELECTORIS SAXONIAE
CVBICVLARIO

CET. CET.

DOMINO GRATIOSISSIMO

PRAEFATI AC GENITRIMO
D O M I N O

D O M I N O R A D O L P H O
R I C H A E L B A N A V A M

H E R U T I N G O G O T T O G H E S E H
H I D D O R D E O U T T I N G C H I L D T O C H E R
C A T H D A V I D W A B E R
S E R E N I S S I M I A C H O T T I N G S H I R I C E S
P O C H O V E A C H I E D O R E
C A B I C H E T T I O D H I E R E S

D O M I N O G R A T I O S S I M O

D O M I N O G R A T I O S S I M O

PERILLVSTRI ET GENEROSISSIMO
DOMINO

DOMINO
FRIDERICO WILHELMO
LIBERO BARONI
DE HOHENTHAL
HEREDITARIO DOMINO IN HOHENPRIESNITZ
GRVNE ET WALLENDORF

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS
POLONIAE ET ELECTORIS SAXONIAE
CONSILIARIO PROVINCIALIS AERARII

CET. CET.

DOMINO GRATIOSISSIMO

PERFECTUS TRI ET GENEROSISSIMO

DOMINO

DOMINO

FREDERICO WILHELMO

FRESCO BVRGOM

DE HONENTHAL

FREDERICO DOMINO IN HONENTHAL

GENA ET MELINDORI

SERENSIMI AC TOTENSASSIMI REGIS

LOTHONIE ET ELECTORIA SAXONIE

CONSTITVIO MONCVS AERIALI

CET. CET.

DOMINO GRATIOSISSIMO

DOMINI
SVMME REVERENDE
PERILLVSTRES GENEROSISSIMI

DOMINI GRATIOSISSIMI

Gerte, nisi VESTRAM gratiam singularē patris mei exemplo cognoscerem, haererem, quibus meos, quos in dedicando VOBIS hocce libello comisi, excusarem conatus. Sed tot tantaque benevolentiae testimonia patrio attribuere voluistis, ut nullus dubitem, me, cui sua officia erga VOS suscipere animus est, eandem VOBIS debere pietatem atque obseruantiam, qua ille ipse se VOBIS obstrictissimum profitetur. Qua de re quum ei, quem parentem colo, hic usque defecerit occasio, publice VOBIS animum suum prius atque deuinctissimum declarandi, mihi, qui iam copiam nancisor, summa eam arripere volui cupiditate, ut demonstrarem, quam mirifice VOS venerer, et quam sancte illi pietati, quam VOBIS deberet pater, ipse filius quasi esset innutritus. Placeat itaque VOBIS mens mea officiosissima, qua primi studii mei labores PERILLVSTRIBVS VESTRIS NOMINIBVS addicere volui. Evidem credo, qui toties totiesque VESTRAM in scien-

scientiis eruditionem ingeniique et iudicij acumen intellexi, huncce libellum *VESTRO* iudicio indignum videri posse, sed tamen non dubito, *VOS* pro singulari *VESTRA* gratia fore, qui has laborum meorum primicias lectu omnino dignari nolitis. Quanta itaque sit *VESTRA* doctrina, quanta scientia, atque literarum peritia, tanta etiam gratia, tanta benevolentia et benignitate *VOS* praeditos patris exemplo cognoui. Studiorum itaque meorum arbitros atque *VOS MAECENATES* sistam, ut ipsi cognoscatis, an mea diligentia meae obligationi par fuerit. Quae quum ita sint, non potui, quin *VOS* precibus adirem demissis, vt Gratiae, Patrocinioque *VESTRO* atque Tutelae me commendatissimum habere velitis. Fauxit sumnum Numen! vt in patriae voluptatem et decus longe adhuc vigeatis, vt gentes *VESTRAE* splendidissimae omnem felicitatem, quam iam *VESTRVM* causa merentur, asequantur. Ego vero semper ero

NOMINIBVS VESTRIS

Lipsiæ
d. II. Junii
CIOCCCLXII.

BEDITISSIMVS CLIENS
CHRISTOPHORVS GOTTLIEB KERSTEN
HETTSTAD. MANSFELD.¹



DE

F I L I A H E R E D E
C O N T R A I V R A G E R M A N I C A
A N T I Q V A .



C A P . L

Equidem inter omnes prope Gentes ex utilitatis,
imo et amoris forsan ratione inualuit, ut inter
quos sanguinis coniunctio intercederet, inter
eos quoque locus daretur occupationi bonorum
seu successioni, si coniunctus quis sanguine animam efflaseret.
Utilitatem eam puto, quippe scilicet quaelibet politior gens
curam habuit, ut singula membra sibi bona, quibus semet conseruarent,
publicae onera ferre possent, conseruarent et certo modo acquirerent. Quae robustior causa esse poterat, cur

A 2

omnes

omnes prope gentes voluerint, vt liberi parentum bona caperent his mortuis, nisi vt simul in ea conditione persisterent, quo possent suam conseruationem tueri aptique efficerentur ad reipublicae onera ferunda. Non vrgeo alias atque multas causas, quae gentes mouere possent, vt successiones legitimas introducerent huicque acquirendi modo certum ordinem scriberent. At id certissimum est in succedendi ordine non semper eadem sanciuissime omnes gentes, sed suis inter se moribus diuersa approbassem. Athenienses patre mortuo ex aequo filiis paternam tribuebant hereditatem et videntur exclusisse filias, quia teste Demosthene in Macartat. si recte memini, patre mortuo relictis filiabus legitimis, ii succedebant, qui easdem in matrimonium ducerent, imo semper masculos feminis in successione, quamvis illi remotiores essent, praeferebant. Non ergo mirum, si et Romani, et maiores nostri Germani suum sibi habuerunt succedendi ordinem, neque inter vrasque gentes semper eundem. Admodum latus se ostenderet dicendi campus, si de omni differentia successionis intestatae dicendum esset inter Romanos non tantum et Germanos, sed etiam inter diuersas Germaniae gentes, quae non semper inter se in successione consentiebant. Videamus ergo, quia instituti ratio nec plagularum nostrarum breuitas permittit, ne in molem accrescat scriptiuncula nostra, quid ratione filiarum vtraque sentiant iura et Romana et Germanica atque quae nostris adhuc temporibus legum dispositiones vsu frequententur.

CAP. II.

Ordinem, quem sibi Romani in successione intestata consti-
tuerant, forsan ex moribus maiorum definierant *Decem-
viri: SI INTESTATO MORITVR, CVI SVVS HE-
RES NEC ESCIT, AGNATVS PROXIMVS FAMI-
LIAM*

LIAM HABETO. caet. Primi ergo, ad quos patris familias demortui hereditas veniebat, erant SVI, i. e. liberi, qui tempore mortis in patris potestate fuerant. Neque mores antiquiores videntur hoc in themate distinxisse filias a filiis. Testis est omni fide maior ipse Imperator IVSTINIANVS,^{a)} qui sic scribit; *Nostra vero constitutio inter masculos et feminas in hoc iure nihil intereste existimans, quia utraque persona in hominum procreatione simili naturae officio fungitur, et lege antiqua DVODECIM TABVLARVM OMNES SIMILITER AD SVCCESIONEM AB INTESTATO vocabantur.* caet. Succedebant ergo filiae patre mortuo vel cum fratribus vel etiam solae ab intestato, si tempore mortis adhuc suae fuerant. Neutquam ergo si viuo patre ex eius potestate exiissent, quod siebat, si in manum mariti conuenissent. Neque extat momentum, ex quo coniuci posset, ante leges decemvirales exclusas fuisse filias a paterna successione, neque per secula ab hoc iure recessit respublica Romana. At tandem in deteriorem positae sunt simul feminae conditionem Lege *Voconia*. Sua enim Lege Tribunus Voconius ita fancuerat: *QVI AB A. POSTVMIO ALBINO. Q. FVLVIO FLACCO CENSORIBVS CENSVS ESCIT, VIRGINEM MULIEREM VE HEREDEM NE FACITO.* Ita Legis verba exhibent PERIZONIVS^{b)} et Abrah. WIELING.^{c)} Non disputabimus, an ei licuerit, qui censum subterfugisset, heredem scribere filiam, haec a Wielingio erudite explicata neque ad nostrum thema faciunt, qui de intestata filiarum successione dicimus. At quid ipsa lex *Voconia*, quae testandi coeret licentiam, neque quidquam de successione intestata

A 3

dispo-

a) IVSTINIANVS §. VIII. I. de exheredit. liberor.

b) PERIZONIVS diff. ad L. Voconiam in Triad. Diff. p. 140. Edit. Da-
ventr.

c) WIELING in Lectionibus Iuris Civil. L. II. c. XXII.

disposuit? Coercuit forsitan patrum familias libertatem ferendi de suis bonis legem in hunc modum, ne feminas mulieresue heredes scriberent, salua interim relicta hereditate, quam filiae ab intestato capiebant. Sed recte diximus deteriorem conditionem filiabus etiam in ab intestato successione additam fuisse. Verum quidem est solum de testamentaria successione locutam fuisse legem. At si legis rationem, quam interpres veteres nobis reliquerunt, examinabimus, facile patebit extensiu interpretatione legis dispositionem ad intestatam traductam successionem. BALDVINVS^{d)} ita nobis causam legis recentet: *Sed cum postea, inquit, viderentur Romae mulieres diuitiis affluentibus efferti, saepe enim verum est illud. Intolerabilius nihil est, quam femina diues, tandem placuit populo Romano quodam veluti frenum iniicere, et, ut antiqui Iuris regula dicit, in multis iuris partibus deteriorem esse feminarum, quam matrium conditionem ostendere.* At si verum dicam, haec idonea satis non videtur ratio. Vix enim mihi persuadeat Balduinus, romanos propter intolerantiam diuitis feminae improbasce successionem in seminam delatam, quibus ipsis ditissimae feminarum dotes necessariae in contrahendis matrimonii periuende placebant. Neque ob inde mihi haec ratio placet, quia ex ipsa iuris analogia minime deprompta, et magis occasionem quam causam legis constituere posset. Neque vero WIELINGIVS^{e)} legis veram causam exhibuit, eam, quod reipublicae interfit, vt ad masculos potius hereditates devoluantur, quam per feminas alienis familiis inferantur. Hanc quidem applicationis causam constituit in successione intestata, sed non ipsius legis. At vero arbitror adsuisse causam legis, quae ipsa quoque ad intestati successionem quadrare debebat. Rectius enim agitur, si applicationis extensionis causa ea ipsa erit, quae legis.

Maior

d) BALDVINVS in Comment. ad L. Vecon. p. 7. Edit. Oporin.

e) WIELING. cit. libr. cap. XXIII.

CONTRA IVRA GERMANICA ANTIQVA. 7

Maior vero altera erit causa, quam addit quamque in peculiari-
bus familiarum iuribus atque sacris potissimum quaerebat, quae
nullae feminae, sed soli habebant sui iuris mares, sexu sequiori
in patris et familiae vel mariti sacris non minus ac potestate
constituto. Neque minus probanda est a dotium causa petita a
Wielingio ratio, quae et ad successionis ab intestato applicari
poterat. Et fere utique legis Voconiae ius ad successionem ab
intestato extensum fuisse, ex introductis, ut videtur, in frau-
dem Voconiae legis fideicommissis appareat. Si enim mortuo
patri filia in omnia bona successisset, non opus fuisset, ut fidu-
ciarii cuiusdam amici fidem elegisset moriens pater, a quo re-
stitutionem hereditatis peteret. Potuisse enim intestatus mori,
sicque transmisisset bona ad filiam, quam superstitem relinque-
bat. Cum vero constet vix lata lege Voconia sollicitos fuisse
romanos de remedio aliquo, quo vim illius subuertere pos-
sent, atque introducta fideicomissa, facilissime extensio ipsius
legis argumenti ad intestati causas concludi atque coniici
poterit. Neque ergo nouissimis reipublicae liberae romanae
temporibus filiae ab intestato succedebant praeterquam in ea
portione, quae dotis quantitatem continebat, neque tunc
quaestio legitimae alius portionis mouenda. Non tamen
diutius lex illa viguit, sed citius filiae sine contradictione ad
legitimas successiones et solae quoque admissae. Coniici id
potest ex CAIO^f) qui vbi ordinem intestatae successionis
tractat, atque de primo ordine succendentium scilicet de suis
disputat, inter suos sine discriminē filias refert. Sic legitur
apud eundem: *Sui autem heredes existimantur liberi, qui in
potestate mortentium fuerunt, veluti filius, filia, caet.* Idem
testatur PAVLVS:^g) *Sui heredes sunt hi: primo loco filius fi-
lia, in potestate patris constituti, nec interest, adoptiū sint,*

an

f) CAIVS Instit. L. II. Tit. VIII. §. 1.

g) PAVLVS Receptar. Lection. L. IV. Tit. VIII. §. 4.

an naturales caet. Neque neglexit **VLPIANVS^{h)}** filias inter suos heredes referre, ad quos in primo ordine ab intestato deuoluebatur hereditas. Sed non opus his coniecturis, clariss rem probat **GELLIVSⁱ⁾**. Ipsius adscribamus verba: *Quid salubrius visum est rogatione illa Stolonis iugerum de numero praefinito? quid utilius plebiscito Voconio, de coercendis mulierum hereditatibus? quid iam necessarium existimatum est propulsandae ciuium luxuria? quam lex Licinia et Fannia, aliaeque item leges sumptuariae? omnia tamen haec oblitterata et opera sunt ciuitatis opulentia quasi quibusdam fluctibus exasperiantis.* Si de causa neglectae Legis Voconiae quid coniiciendum, quo venisset, vt admitterentur ad successionem plenam, quo tempore id contigerit, hanc mihi fingo causam. Fuit id commune quodammodo Romanae genti, vt lata aliqua lege causas quaererent, ex quibus vel contra legem, vel in fraudem praecipue legum agere possent. Id prope antiquissimis temporibus iam contigit, vt patet ex exemplo Legis Horatiae de plebiscitis qua populus Romanus teneretur, tamen patres populi vocabulo inhaerebant, atque fraudem quaerebant, aientes Senatum non intelligi sub populo ob formulam: S. P. Q. R. Ita in aliis legibus. Neque desit hoc studium Romanorum in euentanda lege Voconia. Aucupabantur ii, qui contra intentionem legis acturi erant, verbum **CENSUS ESCIT**. Evidem mens et animus erat Voconio, vt ciues subintelligeret sub censis, vt erudite docuit **WIELINGIVS^{k)}** tamen aliter sensum capiebant, atque de ipso professionis apud Censorem actu legem explicabant. Cumque haud raro census intermitteretur testibus **CICERONE^{l)} CENSORINO^{m)} ASCONIO**

^{h)} **VLPIANVS** L. I. §. 2. π. de suis et legit.

ⁱ⁾ **GELLIVS** in Noctib. Attic. L. XX. cap. I.

^{k)} **WIELING** cit. loc. cap. XX. sqq.

^{l)} **CICERO** Lib. I. in Verr. cap. 41. et Orat. pro Archia cap. 5.

^{m)} **CENSORINVIS** de die natali cap. 18.

NIOⁿ) subtili quadam calumnia subuerterebant legem, quasi ob neglectum legis Voconiae prohibito cessaret. Maxime id patet ex verbis Ciceronis: *P. Annius Afellus mortuus est, C. Annio Sacerdote Praetore. Is cum haberet unicam filiam, NEQUE CENSUS ESSET, quod eum natura bortabatur, Lex nulla prohibebat, fecit, ut filiam bonis suis heredem institueret.* Heres erat filia: faciebant omnia cum puella, leges, aequitas, voluntas patris, edicta Praetorum, consuetudo iuris eius, quod erat tum, cum Afellus est mortuus. Sub imperatoribus tandem penitus neglegctus est census. Quid ergo facilius fuit, quam filias iterum ad paternas admittere intestatas testatasque hereditates? Neque videtur postea lex Voconia in usum reuocata fuisse, quin potius Praetores filiabus succurrebant, ut testatur IUSTINIANVS:^o) et lege antiqua duodecim tabularum omnes similiter ad successionem ab intestato vocabantur; quod et PRAETORES postea secuti esse videntur. Neque ex hoc ipso Iustiniani capite credendum, Imperatorem in usum reuocasse veteris Iuris obseruantiam in successione intestati filiarum; haec mens Iustiniani non erat, sed cum antiquitus differentia esset, ut filii nominatum, filiae inter caeteros exheredarentur, a similitudine constituit, sicut non amplius distinguerentur filiae a filiis in successione ab intestato, ita nec distinguendas fore amplius in exheredatione, sed utriusque liberorum sexum aequalem habendum, ut et filiae ex Constitutione Iustiniane nominatum exheredandae sint. Patet itaque ex his, apud Romanos, paucum si excipias legis Voconiae obligantis tempus, semper filias ad patrum successionem admissas atque legitimas heredes habitas fuisse. Iam quid maiores nostri putauerint, videamus, horumque mores cum Romanis iuribus comparabimus.

C A P.

n) ASCONIVS ad Cap. 3. Diuin. et contra compet. in tog. cand.

o) IUSTINIANVS §. VIII. I. de exhered. liber.

B

C A P. III.

Sanctiorem Germaniae incolis antiquissimis fuisse successionem ab intestato vel inde pater, quod ignorarunt testaments, atque eam, quam moribus comprobarunt, paciscendi licentiam non omnino liberam seruabant. Neque ab eo, qui antiquissimis Romanis placuerat succedendi ordo, penitus recesserunt, sed et ipsi primum, si ita dicere fas est, suos, post agnatos vocabant. At quae Romanis ex Sacris priuatis desumpta fuerat ratio, eam ignorabant Germani, omniaque ex familiae conseruandae studio atque necessitudine illa naturali agnationis deriuabant. Ordinem vero hunc a maioribus vere obseruatum fuisse, idoneus testis est **TACITVS^{p)}** *Heredes successoresque sui cuique liberi: nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in successione fratres, patrui, auunculi.* At valde tamen nonnullae Germanicae gentes a Romana filiarum successione recedebant. Placuit maioribus nostris studium conseruandi splendoris familiarium. Cum vero et in his gentibus receptum esset, vt filiae, si elocarentur, in mariti sui familiam transirent, consequbebantur quoque per filias splendorem ipsamque familiam conseruari non posse. Factum inde est haud raro, vt cum sedulo distinguerent Germani mobilia viensilia expeditoria atque immobilia, vt maxime ab immobiliari successione excluderent filias, easque vix admitterent, nisi omni familia extincta, cuius splendoris conseruatio tunc amplius non existebat. Neque tamen omnes inter Germanos populi, vnas easdemque succedendi consuetudines atque iura habuere. Primi sunt Franci, qui non omnino filias^{ad} successionem intestatam in immobiliis admittebant, sed solis filiis atque masculae progeniei ius succedendi conferebant. Ita est in **LEGE SALICA^{q)}** *De terra*

p) *TACITVS de Mor. Germ. cap. XX.*

q) *LEX SALICA Tit. LXII, §. 6.*

CONTRA IVRA GERMANICA ANTIQVA. II

terra Salica nulla portio hereditatis mulieri veniat: Sed ad virilem sexum tota terrae hereditas perueniat. Distinguit vero lex inter allode interque terram Salicam. Elegantissima sunt, quae BIGNONIVS^{r)} disputat de allode. Allode ea comprehendebat bona, quae liberi iuris erant, nec fidem nec penitatem deberent: terra contra Salica his opposita nexumque familiae quandam indicabat. Dubitatio tamen mihi hic subnata, an recte etiam sub allode ea comprehendantur bona; quae nec fidem nec penitatem debent, ut ergo in terris Salicis lateat differentia feudi ab allode. Sane loca, quae BIGNONIVS attulit pro explicatione allodis, mihi nondum satisfaciunt. Salica enim lex a liberis Francis primum scriptaante Pharamundi tempora, neque ex Marculfi formulis neque ex Capitularibus Regum Francorum ad illud Seculum non pertinendibus accurate definiri poterit. Venit potius in mentem terras Salicas eas esse, quae familiae nexae atque hereditario iure iam transmissae, qua transmissione singulis familiae membris ius aliquod enatum fuerat in ipsa possessione et terra. Allode contra ea forsitan comprehendet bona, quae nulli familiae nexui obnoxia, sed proprio iure possessa, de quibus utique et liberior successio et disponendi facultas fuit. In Allode itaque liberi succedebant. Ita enim Lex:^{s)} *Si quis homo mortuus fuerit, et filios non dimiserit, si pater aut mater superfuerint, ipsi in hereditatem succedant.* Augent sane haec verba coniecturam interpretationis de differentia bonorum terrae Salicae et proprietatis. Quodsi enim nexus fuisset familiae allode illud atque hereditario a familia iure acquisitum, quae so, quomodo, pater successisset in illo, a quo potius relinquendum erat? Distinguit ergo Lex acquisita et familiae non nexa ab iis bonis, quae iam ex terrae Salicae moribus ac iuribus familiae

B 2

nexa

r) BIGNONIVS ad Formul. Marculf. p. 251, sqq.

s) LEX SALICA cit. Tit. §. 1.

nexa erant. Nolle tamē negare, vera esse, quae Bigno-
nius notauerat; si ad sequentia tempora pergitus. At nonne
et in proprietate seu allode videntur filiae exclusae cum scri-
ptum sit, et filios non dimiserit?^{t)} Recte vero hic obseruauit E C-
KARDVS^{t)} filios idem esse, ac si dixerint Legis autores et
compilatores *liberos* ut in hoc bonorum genere filiae non ex-
cludantur. Verum in bonis de terra Salica filiarum successioni
locus non dabatur. Neque videntur Ripuarii a successionis Sa-
licae ordine multum recessisse, quippe LEX RIPVARIA^{v)}
si absque liberis quis defunctus fuerat, parentes aliosque agna-
tos cognatosque admittebat. Sub liberis autem et filiae com-
prehensae videntur ad successionem admislae. At eadem ra-
tione distinguit lex terrarum successiones, quippe mox ponit:
*Sed dum virilis sexus exfliterit, femina (ideoque nec filia)
in hereditatem auiaticam non succedat.* Eam quam Salica Lex
terram Salicam vocabat, Lex Ripuaria vocat auiaticam, quae
ea mihi videtur, quae a maioribus, quos auos dicebant, trans-
missa hereditario iure sicut familiae et genti quasi nexa et
obligata bona erant. Paululum alter sentiebant BVRGVN-
DIONVM LEGES.^{w)} Sic enim scriptum: *Inter Burgun-
diones id volumus custodiri, vt, si quis filium nou reliquerit,
in loco filii filia in patris matrisque hereditate succedat.* Nulla
hic bonorum distinctio, neque tamen indistincte filiae succede-
bant, sed excludebantur a filiis, qui si tamen non extarent,
demum admittebantur ad paternam maternaque hereditatem.
Eadem sentiebant et LONGOBARDI^{x)} qui sua Lege non qui-
dem ab omni successione filias arcebant, filiis tamen semper prior-
rem succedendi ordinem concederent. Ita enim sunt legis verba:

Si

^{t)} ECKARDVS in Not. ad Leg. Salic. cit. loc. p. 106.^{v)} LEX RIPVARIA Tit. LVI. §. 1. et 3.^{w)} LEX BVRGVN DIONVM Tit. XIV. §. 1.^{x)} LONGOBARDORVM LEX Lib. II. Tit. XIV. §. 12.

Si quis Langobardus sine filiis legitimis masculinis mortuus fuerit, et filiam dereliquerit vnam aut plures legitimas, ipsae in omnem hereditatem patris vel matris suae, tanquam filii legitimimi masculini heredes, succedant. Veniamus ad Saxones. Neque in hac Gente melior filiarum conditio fuit circa hereditates, quippe et in subsidium demum admittebantur, si proles mascula non adesset, et solis defuncti patris agnatis praeferebantur. Inuit id ipsa LEX SAXONVM^{y)} Pater aut mater defuncti, filio, non filiae hereditatem relinquit, quam legem tamquam mores Saxonum suae compilationi inseruit ECCO de REPKAV^{z)} Speculi Saxonici autor: Des Vaters und der Mutter, der Schwester und des Bruders Erbe nimmt der Sohn, und nicht die Tochter. Es sey denn, daß da kein Sohn sey, so nimmt es die Tochter. Neque sufficere visum est Saxonibus, si filius non existeret, verum si ex filio nepos adeo extaret, et hunc in successione anteferebant filiae. Ita LEX^{a)} Qui filiam ac filium habuerit, et filius vxore ducta et filium genuerit, et mortuus fuerit, hereditas patris ad filium filii, id est, nepotem, non ad filiam pertineat. Recte vero horum iurium causam in eo ipso familiarum conseruandarum studio inuenit illustr. GAERTNERVS.^{b)} Duriores adhuc fuere ANGLI et WERINI^{c)} qui ab omni immobilium hereditate excludebant filias, et rerum utensilium successionis speciem quandam tantum iis concedebant, uti masculis heergewetticam praeter immobilarem, quod bellissime obseruauit HEINECCIVS^{d)} Verba Legis sunt: Hereditatem defuncti filius non filia suscipit. Si

B 3 filium

y) LEX SAXONVM Tit. VII. §. 1.

z) ECCO de REPKAV Speculo Saxonie. Lib. I. art. 17

a) LEX SAXONVM cit. Tit. §. 8.

b) GAERTNERVS in Notis ad Leg. Sax. Tit. VII. ad §. 1.

c) LEGES ANGLIOR. ET WERINORVM Tit. VI. §. 1.

d) HEINECCIVS in Element. Iur. Germ. L. II. Tit. IX. §. 224. *

filium non habuit, qui defunctus est: ad filiam pecunia et mancipias; terra vero ad proximum paternae venerationis consanguineum pertineat. Et ex materna hereditate filia spoliis collis id est murenis, nascis, monilibus, inauribus, vestibus, armillis vel quicquid mater ornamenti proprii videtur habuisse, contenta esse debebat. Benigniores contra erant BAIVVARII^e) qui sua quidem lege prospexerant, ut fratres hereditatem patris aequaliter diuiderent, neque tamen iis non extantibus filias vindentur exclusisse. ALEMANNI^f) vero neque eo themate si filii non existenter, filias admittebant, sed adhuc eam sancierant conditionem, sub qua ad parentis hereditatem fratribus non existentibus eas admittebant, si paris conditionis viro nupsissent. LEGIS verba, quae solis filiis paterna tribuit bona haec sunt: *Si qui fratres post mortem patris eorum aliquanti fuerint, diuidant portionem patris eorum.* At ipsa LEX^g) de conditione illa ita sanciebat: *Si duae Sorores, absque fratre reliiae, post mortem patris fuerint, et ad ipsas paterna hereditas pertingat, et una nupserit sibi coaequali libero, alia autem nupserit aut colono regis, aut colono ecclesiae: illa, quae illi libero nupserit sibi coaequali, teneat terram patris eorum, res autem alias aequaliter diuidant.* Haec veteris Iuris popularium nostrorum facies, qui vel plane non vel non extantibus fratribus filias solum succedere voluerunt. Abstineo a feudal successione, quae separatas suas succedendi rationes et ordinem habet. Quid media Iurisprudentia saltem in terris Saxonice obseruauerit, iam supra notauimus. Et iam videamus demum, quomodo contigerit, ut hodie ii ipsi Germani ab auctoribus et legibus recesserint, magisque ius Romanum in filiarum successione receperint.

C A P.

^e) LEX RAIIVVARIORVM Tit. XIV. cap. VIII. §. 1.^f) LEX ALEMANNORVM Tit. LXXXVIII.^g) LEX EADEM Tit. LVII.

CAP. IV.

Quanquam, ut supra ostensum est optima ratio fuerit maiores nostris filias per quas potius familiae interibant, quam ut conseruarentur, a successione arcere, tamen non omnibus gentium membris placuit, ut paternorum bonorum exfortes essent filiae. Evidem parum detrimenti sentiebant illae; quod si enim in matrimonium ducerentur, quamvis non succederent, tamen apparatum suum, quem de sede paterna ad maritum ferre mos erat, a fratribus aut aliis paternae hereditatis successoribus capiebant: quoisque vero nondum ex sua exibant familia, pariter a fratribus aut paternae hereditatis successoribus alendae sustentandaeque erant. Nihilominus haud raro contigit, ut quantum possint, fierique permitterent leges, filiabus suis, non contenti iure ordinario, prospicerent. Coniici id potest ex formula, quam exhibet MARCVLFVS^{h)} *Monachus* quam integrum dabimus.

Dulcissimae filiae meae illi, ille. Diuturna sed impia inter nos consuetudo tenetur, ut de terra paterna sorores cum fratribus portionem non habeant, sed ego perpendens hanc impietatem, sicut mihi a Domino aequaliter donati estis filii, ita et a me sitis aequaliter diligendi, et de rebus meis post meum descensum aequaliter gratulemini; ideoque per hanc epistolam Te dulcissima filia mea contra germanos tuos, filios meos illos, in omni hereditate mea, aequalem et legitimam esse constituo heredem, ut tam de allore paterna, quam de comparato, vel mancipiis, aut praesidio nostro, vel quocunque morientes reliquerimus aequalitatem cum filiis meis, germanis tuis, diuidere vel exaequare debas, et in nullo penitus portionem minorem, quam ipsi, non accipies, sed omnia inter uos diuidere, vel exaequare aequaliter debeatis. Facile patet, maxime etiam ob autoris conditionem, hanc a iuriis via secessionem superstitioni vnicę locum debere.

Impium

h) MARCVLFVS *Formular. L. II. Form. XII.*

Impium pronunciat formula illud ius, quo filiae a paterna hereditate excludebantur, quod et filios et filias dei donum esse agnoscabant. Non vrgeo hoc futile argumentum. Quid enim facilius erat, quam ignoratis ciuilium iurium argumentis, ope superstitionis aduocataque quasi diuina voluntate, efficere, ut id quod neque pietatis praecepta laedebat, neque iustitiae limites egredieretur, tamen impietatis accusaretur. Patet facilime clericos suis studiis, qui praeterea laicorum bonis tanquam rapacissimi lupi variis inhiabant modis, ex propria sua rerum ciuilium illius aetatis ignorantia diuina humanaque miscuisse, imo ob rerum omnium imperitiam in laicis deprehensam et non raro cum summa omnis superstitionis copia coniunctam miscere potuisse. Improbavit, filiarum exclusionem ab hereditate caput Clericorum, improbavit cohors clericorum sub specie pietatis, quasi inaequalitatem, que inter liberos legibus et moribus germanorum stabilita esset, sublaturi, iuris antiqui patrii consuetudinem in accuratissima gentium politia fundatam. Neque tamen haec clericorum illius barbarae aetatis deuotio non omnino laudanda efficere potuit, ut omnes vel adeo ipsae gentes ab hac iuris veteris obseruantia recederent, sed inter varias gentes mores veteres sancte seruati, quod ex SPECVLI SAXONICIⁱ⁾ verbis clare patet, quae ipsa antiqua adhuc iura exhibebant. Ferre tamen non potuit spurium ecclesiae Christianae caput, ut excluderentur amplius filiae a paterna hereditate atque aequales esse voluit omnes liberos, quod et inde patet, quod summus Pontifex GREGORIUS XI. vel si maius IX infensissimus praeterea speculi Saxonici hostis inter caeteros articulos et hunc damnaret, qui filias a paterna hereditate filiis extantibus exclusas esse iubebat. Neque hoc anathema fulmenque effectu destitutum fuit, quod inde coniuci poterit, quod GLOSSA ad eum articulum notet:

Die

i) SPECVLU SAXONIC. cit. Artic.

Die Tochter nimmt zu unsrer Zeit zugleich Erbe mit den Sohnen. Quae cum ita sint, Pontificio iuri atque superstitioni magis antiqui illius iuris immutationem tribuendam esse arbitror, quam ut culpan in Romani iuris receptionem conicerem. Negandum quidem non est, eos ex popularibus, qui sensum studiorum aliquem percepérant, ad Italicas accessissé Musarum sedes, ibique ut ius valebat, solum ius romanum ad patrium solum vel plane non, vel parum accommodatum multa diligentia multoq[ue] studio apprehendisse. Reduces hi itaque in patriam referti repleteq[ue] Glossatorum deliciis, oblii interea patriorum morum et iuris ad forum accedebant, quamque sapientiam in Italia hauserant, crude in forum propellebant, et sic contigit, ut, obstupefacto horum hominum insueta sapientia atque doctrina populo atque iudicibus, romana paulatim acciperentur, atque braccae germanicae cum romanorum toga haud raro permutarentur, neglecto interim eo studio, an et politiae gentis an morum et iurium analogiae haec peregrina, noua et inaudita Sapientia conueniret. Neque parum contulere ad receptionem faciliorem studia aulae Imperatoria, quippe Imperatoris optuma causa contra insultus Pontificis tunc, non ut debebat, ex gentium et vniuersali quodam iure, cuius penitus nulla cognitio erat, sed ex romano iure defendebatur. Neque adeo negabo recepta cognitaue illa romani iuris sapientia, saepius ad decidendas lites super hereditates motas decisiones ex romano iure petitas fuisse. At nolle tam, ob ea, quae supra adduximus, soli receptioni iuris romani causam tribuere. Cum enim supersticio viam iam strauerat ad immutandum ius, eaque supersticio cum peregrino illo iure conueniebat, nihil facilius erat immutatione iuris veteris et defensione superstitionis ex novo illo atque peregrino iure. At semel immutato illo prisco iure, semelque filiabus aequalibus effectis filii in allodiali successione, nihil profecto mirandum, si postea leges Provinciales re-

C

cen-

centiores atque urbium et locorum statuta eandem succedendi aequalitatem, quam adhuc obseruari videmus, approbauerint. Id vero sane dolendum, expulsa illa veteri inaequalitate non simul eiectam atque exterminatam fuisse successionem Geradicam seu rerum utensilium, quae non nisi maximam adhuc inaequalitatem alit. Fac, mori Titiam filii filiaeque matrem. Relictis his liberis heredibus, ante quam diuiditur materna hereditas, separanda erit Gerada, quae interdum dimidiam bonorum maternorum ob ornamentorum, vasorum, vestimentorum, neniarum et quisquiliarum femininearum copiam, delibat. Separata hac, quam sibi retinet filia, iam filius diuisae hereditatis, quae supereft, suam capit partem. Facile ergo contingere potest, vt tres quartas ex materna hereditate computata Gerada capiat filia, vnam filius. Et quae illa aequalitas, quam tam sanctissime colendam fouendamque contra veteris iuris inaequalitatem suadebat Pontifex. Sed ita ferre solet superftitio cum ciuilium rerum in causis ciuium imperitia coniuncta. Sapuit tamen magna pars incolarum germaniae, quae Geradicam seu utensilium successionem et rerum expeditiorum improbavit, postquam semel illa succedendi aequalitas in forum propulsa et prouincialibus legibus quasi firmata fuerat. Quare fit, vt non modo in iis terris, in quibus olim exulaerat Gerada, ea adhuc exulet, sed extant specialia urbium iura, quae hanc inaequalitatem eiecere in iis terris, quae agnouerunt olim et adhuc agnoscent Geradam. Prouoco ex multis ad *Statuta Zittauiensium*. Omnis prope Lusatia superior utensilium et expeditiorum rerum causas agit, haec sola vrbis improbat. Neque haec moribus aduersa superftitio intactum reliquit iuris feudalnis ambitum. Dedit enim, vt quidem videatur occasionem praeter regulam filias feminasque ad beneficiariam successionem admittendi, at praeterea in iis, quae ex ecclesiae beneficio possidentur, feudis omnem prope iuris beneficium.

neficiarii succedendi ordinem turbauit, quod illa iuris paroemia indicat, Krumstab schleusſt niemanden aus. Quae cun ita sint, arbitror, bene in singulis prouinciis obseruandum esse, quo usque in successione paternaque hereditate antiquis moribus derogatum sit, recepto iuris Romani ordine ac successionis lege. Et iam prope vniuersale videbitur, vt in omni successione, quae non est beneficiaria, et praeter retentam successionem rerum vtensilium et expeditoriarum filias ad aequalem diuisionem admittamus; quae priuati iuris confusio frequentissime adeo in illustrium Imperii Germanici successionibus alodialibus obseruatur. Sed haec de filiarum successione contra antiqui iuris rationes et argumenta; si vero quae sint, quae minus apte minusue commode dicta sint, vt breui ad scribendum dato tempori, quo labor absoluendus, L. B. tribuat, humannissime rogo.





PRAENOBILISSIMO DOMINO

RESPONDENTI

S. D. P.

PRAESES.

*S*i omnem, quos mea aluit schola et educauit au-
ditorum numerum euoluo, inter eos, quos
et propter summam industriam et egregiam
doctrinam jurisprudentiae apprehendendi cu-
piditatem mirifice deamaui, neminem prope, quamuis mul-
tos et egregie doctos habeam, inueni, quem TECUM do-
ctissime disputationis AVTOR compararem. Tan-

❧ ❧

ta fuit in TE discendarum legum iuriumque cupiditas,
vt, cum Optimi Parentis consensu animum ad illas applica-
res, nouus homo factus videreris. *Affiditas in me au-*
diendo meaque de rebus ciuilibus data arguienta, causas, ra-
tiones iudicando, fuit, quae me maxime TIBI non amicum,
sed amicissimum fecit. Non fuisti ex eorum numero, qui
praeceptoris autoritate, verbis, vento sese duci passi sunt, sed
quae audiueras, indicando examinabas, dubia inuenta im-
pugnabas, neque prius desistebas, nisi dubitationibus TVIS
satisfactum fuerit. *TVAM ergo discendi rationem dili-*
gentiamque priuatus laudabam et iam publice magis lauda-
rem, nisi vel iam ea dixisset, quae in TVAM laudem
vergerent, vel TVAM verecundiam laedere dubitarem.
Quapropter illud officii genus absoluo, quod gratulationibus
absoluitur. Gratulor itaque ex animo de singulari doctrina
et eruditione parata, gratulor de specimine eruditionis, cuius



moderatorem et Comitem me elegeras, et opto, ut Divina
Prouidentia iis TE beare velit felicitatibus, quas TVA
merita fuit diligentia. Perge itaque superato labore Acade-
mico ad Patrios lares et penates, felicissimum saluta Paren-
tem Optimum, Piuissimum, para TE ad rempublicam,
quae TVI desiderio tenetur. Felix vero ne mei amoris,
amicitiae, Studiorum ac Doctrinae obliuiscaris iure quodam
perfecto non peto, sed postulo. Vale ergo et vale feliciter
meque ama. Dabam Lipsiae d. I. Jun. c IɔIɔcc LXII.

ULB Halle
006 385 451

3







DISSERTATIO IVRIDICA
DE
**FILIA HEREDE
CONTRA IVRA GERMANICA
ANTIQUA**

QVAM
ILLVSTRIS
ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE
**D. CHRISTIANO HENRICO
BREVNING**

PROFESS. PVBLIC. EXTRAORD. ET SOCIET. LITER.
DVISEVRG. SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE II Ivnii ANNO CCCCCCLXII.

DEFENDET

CHRISTOPHORVS GOTTLIEB KERSTEN
HETTSTADIO MANSFELD.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

